



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Hyæna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

PESTILENTIA. CAP. XIX.

A pud Philostratum Lupus futura pestilentia signum est, ubi Palamedes, propterea quod Lupi ex Ida frequentes in pueros qui castris ministrabant, impetum fecerant, suadet Apollini Lycio sacrificandum, qui feras eas suimet sagittis interficeret, ac simul imminens pestilentia calamitas summo veretur. Apud Sicyonios templum erat olim Apollini Lycio dicatum ea de causa, quod ferunt aliquando Lupos ita eorum gregibus infestos ut nullum possent ex re pecuaria fructum percipere: quare consulto Deo responsum acceperunt, ex ligno quodam arido, quod humi jacebat, corticem detrahendum, eumque admixtum caribus feris exponendum, quas cum illi gustassent, intereptione perire. Sed & apud Troezenios Dianæ Lyceæ templum fuit ab Hippolyto dicatum, inde, ut Pausanias putat, expulsis Lupis.



Palamedes cur Apollini Lycio sacrificandum suaserit.

PROSPERITAS. CAP. XX.

Felicioribus vero auspiciis Lupa geminos Marte factos educat. Trogo enim commentum placet, ea de causa Romulus & Remus Martis filios dictos, quod nutricem Lupam habuerint: propterea quod Lupa in Martis tutela esset, hinc antiqua Romæ tot extant monumenta, in quibus Romulus & Remus parvi atque lactentes lupinis uberibus inhiant. Eadem in somnis uberibus suis Severum alit in Imperii futuri præfagium. Neque prætereundum quod Geloni Syracusano adhuc puero, & in scholis rudimenta prima discenti, Lupus auxilio fuerit, ut imminenti vitæ periculo subduceretur. Nam cum & præceptor ejus, & frequentes discipuli in ludo literario essent, visendæ magnitudinis Lupus irrupit, Gelonisque tabulis morfu arreptis ire foras properabat. Gelon haudquam territus, ne tabellis privaretur, eas manu non segniter tenens Lupum sequebatur: postea vero quam foras processere, gymnasium repente corruit, magistratumque & condiscipulos oppressit, Gelon incolumis evasit.

Lupa & Lupi auxilium memoratum.

HYÆNA. CAP. XXI.

ERam pene Hyænam præteriturus, authorum offensus perplexitate, tam diversa super ea tradentium, ut parum cognita esse animalia suspicarer: sed quoniam non ei legi addictus sum ut animalium historiam perferbam, sed quæ tantum ad Ægyptiorum commenta faciant perquiram, cujusmodi ea sint, ex iis quæ collegimus, intelliges.

VICTUS HOSTIS. CAP. XXII.

Hieroglyphicum Hyæna præcipuum erat, contentionem, ut apud Ægyptios Sacerdotes reperi, significare. Quod si victum hostem intelligi voluissent, eum à dextro latere statuebant; si ad dexteram conversa cum venatore pugnam inierit, eam semper esse potioem. Nam cum flexi nisi circumacti totius corporis nequeat, spina continua per collum & dorsum totum porrecta, prægressi hominis vestigia occupare conatur: quod si successerit, quasi magica quadam vi, quæ in ejus tantum dextera corporis parte pollet, alienari mente circumventum hominem, & si Equo infideat, decidere: atque ita omnino victum interfici.

Plin. lib. 10. c. 8.

VICTOR HOSTIS. CAP. XXIII.

Sin victorem hostem significare vellent, animal idem cum venatore ab læva congressum effingebant, quod divulgatum est Hyænam si non ab læva hostem occuparit, nihil ea magica vi polleat: ipsam verò quasi attonitam decidere, ac nullo pene negotio capi. Sedenim quæsierit aliquis, si pingenda sit Hyæna animal orbi nostro incognitum, qua figura sit. Tradunt eam magnitudine & colore

Ibidem Plin.